

Utrum confessio sacerdoti facienda sit homini necessaria ad salutem. Quod non, quia ex sola contritione peccatum remittitur. Ergo non est [390a] necessarium postea confiteri. Consequentia patet, quia confessio non est necessaria nisi propter dimissionem peccati. Antecedens probo, quia gratia et culpa seinvicem non compatiuntur, sed statim ad contritionem peccatorum infunditur gratia, iuxta illud Ezechielis, 18: *in quacumque hora ingemuerit peccator* etc.

Praeterea, *De poenis*, distinctione 1, prope principium, capitulo *Lachryme*. Et recitat Magister, distinctione 17, capitulo 3: „lachryme lavant delictum quod voce pudor est confiteri”. Ergo confessio non est necessaria. Confirmatur, quia Petrum, Magdalenam et Paulum legimus fuisse peccatores veniam consequentes, de quorum tamen confessione nullibi scriptum est.

Praeterea, confessio facienda est sacerdoti discreto, qui sciat discernere inter lepram et non lepram, et secundum culpas proportionare poenas. Sed aliquando contingit quod aliquis sacerdos non scit ita bene discernere inter peccatum et gavitatem peccati pensare, sicut non sacerdos; et aliquando ipsemet sacerdos est talis qui sciat huiusmodi. Ex quo videtur quod liceat non sacerdoti confiteri, et quod idem homo possit in casu sibi ipsi imponere poenitentiam, ne sit necessarium recursum habere ad sacerdotem.

Praeterea si confessio sit necessaria ad salutem, vel est homini imposita de iure divino, vel de iure naturae. Non de iure divino, quia illi qui tantum fuerunt sub lege naturae fuerunt obligati ad confessionem. Probo, quia Adam et Cayn reprobantur a Deo quod peccatum suum non voluerunt confiteri, ut patet *Genesis*, 3 et 4. Et similiter Iob fuit tempore legis naturae, et tamen ipse confitebatur peccatum, *Iob*, 31: *si abscondi quasi homo peccatum meum*. Ergo confessio non est tantum de iure divino. Si dicitur quod est de iure naturae, contra: quicquid est de iure naturae, sequitur dictamen naturalis rationis, et eodem modo observatur apud omnes. Sed hoc non potest dici de confessione; igitur.

Praeterea, non est necessaria, nisi quia a Deo instituta, sed divina institutio promulgatur *Iacobi* 5: *confitemini alterutrum peccata vestra*, ubi non fit mentio de sacerdote. Similiter, in littera persuadetur in casu confiteri socio, ubi dicit sic distinctione 17, capitulo 5: „si defuerit sacerdos, proximo vel socio facienda est confessio”.

Praeterea si sic, videtur quod liceret confiteri cuilibet sacerdoti meliori. Consequentia patet per illud quod dixit Magister in 4 <libro>, distinctione 17, capitulo 5: „qui ergo confitetur sacerdoti, omnino meliori quam potest confiteatur”. Ergo relinquitur iudicio confitentis sibi eligere confessorem. Item, distinctione 17, capitulo 5: „quaerendus est enim sacerdos sapiens et discretus, qui cum potestate simul habeat iudicium. Similiter, quilibet sacerdos habet claves; ergo quilibet eorum potest quemlibet hominem absolvere”. Et confirma[390b]tur, quia quilibet sacerdos potest consecrare corpus Christi, quod maius est; igitur.

Ad oppositum: omne quod Deus praecepit est necessarium ad salutem; sed quod sacerdoti fiat confessio, praecepit Deus; igitur etc. Maior probatur, quia Christus, <*Secundum*> *Ioannem* 20, quando dixit apostolis et discipulis suis: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, dedit potestatem iudicandi de peccatis. Ergo eoipso imposuit aliis obedientiam et

subiectionem, quia sine eorum subiectione non poterant exequi suam potestatem, quia cognoscere in iudicando peccata eorum non possunt, nisi ea per confessionem audirent.

Praeterea, confiteri sacerdoti est praeceptum sedis apostolicae, sicut habetur in *Decretum*, distinctione 19, *Sic omnes*: „sic omnes sanctiones apostolicae sedis accipiendae sunt, tamquam ipsius divina voce Petri formatae”.

Praeterea, *Extra*, *De poenitentia et remissioni*, *Omnis utriusque sexus*; praecipit concilium celebratum sub Innocentio tertio quod „omnis utriusque sexus fidelis statim postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti”.

Praeterea, Magister, libro 4, distinctione 17, capitulo 5 dicit quod „non sufficit Deo confiteri sine sacerdote, nec est vere humilis et poenitens, si non desiderat et requirit sacerdotis iudicium”.

Ad quaestionem dico quod aliquid est necessarium ad salutem dupliciter. Vel quia sine illo impossibile est habere salutem, vel quia sic ordinatum, quod non est in libera potestate voluntatis illud contemnere et salutem habere. Primo modo, nullum sacramentum est necessarium ad salutem, quia Deus virtute suam non alligavit sacramentis. Et sic non est contritio necessaria, nec confessio, sed sufficit sola voluntas Dei cum creatura rationabili. Secundo modo, confessio est necessaria ad salutem, hoc est confessio est medium ordinatum ad salutem, ita quod non est in potestate hominis, isto contempto, obtinere salutem. Unde quilibet qui est compos mentis et potens loqui et habens copiam sacerdotis, si peccavit mortaliter, tenetur confiteri sacerdoti tunc, vel aliis secundum permissionem et ad ordinationem Ecclesiae.

Ad primam rationem dico quod peccatum sic remittitur quod, si, habita opportunitate, contemnat confiteri, nec de illo contemptus prius poeniteat, peccata sua dimissa sibi imputantur denuo. Argumentum tamen bene concludit quod confessio non est necessaria primo modo.

Ad secundum, verum est quod lachryme lavant delictum, quia pudor est confiteri; tamen, non obstante pudore, oportet confiteri. Et ad confirmationem dico quod multa sunt facta quae non sunt scripta.

Ad tertium dicitur quod scientia acquisita non est clavis, sed auctoritas quam laicus non habet [391a], nec idem super seipsum, nec etiam habens claves ligandi, sicut sacerdotes non habentes materiam subiectam, nec ex ordinatione, nec ex commissione.

Ad quartum, quod est duplex confessio, scilicet mentalis Deo, et vocalis homini. Prima est de iure naturali, secunda de divino. De prima loquitur auctoritas de Adam et Cayn, et forte similiter de Iob; sed tamen Iob de superabundanti fecit confessionem homini. Non sequitur ergo quod hoc fuit de lege naturae, sicut nec multa alia bona quae legitur fecisse.

Ad quintum dicitur quod Iacobus praesupponit institutionem factam a Christo, <Secundum> *Ioannem* 20, sicut fuit argutum in prima ratione ad oppositum. De prima ratione quam fecit Anselmus et Beda ad confitendum socio in defectu sacerdotis et etiam de venialibus magis est congruitas vel supererogationis quam necessitatis.

Ad sextum patebit in sequentibus.